



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio I. De Mundo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)



PHYSICÆ

PARS SECUNDA.

In quatuor Libros

DE COELO ET MUNDO.

PRIMA parte Physicæ egit Aristoteles de corpore naturali, & illius circumadjacentibus in genere, nunc verò de corpore naturali in specie, sive de mundo inferiori, & superiori agendum: multa, eaque inutilia, hic à variis traduntur, quæ ad Astronomum magis, & scripturæ interpretes, quàm ad Philosophum, spectant; nos utiliora & Philosophica secernemus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Mundo.

DUBIVM PRIMVM.

An mundus sit unus; & plures sint possibiles.

ANte Resolutionem
Suppono per mundum hic à Philosophis intelligi collectionem omnium creaturarum sublunarium & celestium, sic ut dubii sensus sit; an supra ultimam superficiem Cœli empyrei y.g. dentur aliæ creaturæ corporeæ, aut incorporeæ, de factò, aut de possibili. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

ICO 1^o. de factò unicus est mundus, ita Aristoteles 12. Metaph. textu 49. & D. Thom. 1. p. q. 47. art. 3^o. est contra Anaximandrum & Democritum, qui de factò plures esse mundos asserabant: item contra Empedoclem, qui quidem plures fuisse asserbat, sed unum jam in pugna periisse, ut refert D. Murcia hic Disputat. 3^a, quæst. 1^a.

R. P. Francisci Bonæ Spei Physicæ.

III. Probatur, Ratio, experientia, aut autoritas aliud non convincit: atqui positiva illius rei existentia, præsertim contra sensum & modum loquendi communem, sine positiva ratione, experientia, aut autoritate adstrui non debet, ergo, &c.

IV. Confirmatur; fere fidei est, vel saltem fidei valde consonum (ut notant August. lib. de hæresibus, hæresi 77. Isidor. 1. Etymolog. cap. 5^o, de factò unicum mundum dari; quia scriptura & PP. de mundo semper loquuntur in singulari ut Ioan. 1^o. & mundus (non mundi) per ipsum factus est: unde non agnoscunt PP. alibi creatos homines, non infectos originali, & sanguine Christi non redemptos, quales esse deberent in isto altero mundo; cur enim in eo alia porius, quàm homines essent? Imò, vel ipse Cicero, definitione, quam de mundo tradidit, secundum excludit mundus (inquit 2^o de natura Deorum) est communis hominum, Deorum & omnium rerum urbs, ergo, &c.

V. Dices fortè cum Empedocle, mundus essentialiter constituitur per formam, ut homo per animam; sed forma mundi est corporum Univerſam; sed forma mundi est corporum Univerſam; sed forma mundi est corporum Univerſam.

A 2

formæ

formæ, quæ jam toties per pugnam contrarietatis dispositionum corruptæ sunt, ergo licet de facto sit unicus, plures tamen fuerunt, qui in pugna ista contrarietatis perierunt.

vi. Respondeo negando assumptum; quia mundus non est compositum per se ex actu & potentia; sed aggregatum per accidens, cujus essentia, non tam attendi debet penes illius entia & partes Physicas, quam penes finem authoris illius, qui versatur, non circa entia Physica; alioqui, sicut singulis instantibus rerum ubicationes, durationes, actiones, &c. transeunt de esse ad non esse, similiter deberet intentio ipsius Authoris, & mundus ipse singulis instantibus mutari; sed circa subordinationem uni tercio, nempe sic, volo hunc mundum condere ut continuo generi humano ad commodam habitationem, sustentationem, propagationem, operationesque ei convenientes, serviat: unde idem essentialiter manet, quamdiu ita generi humano servit.

RESOLUTIO II.

vi. **D**ico 2^o. possibiles sunt plures mundi specie, vel numero diversi.

viii. Probatur, quia non minus Deus est potens ad secundum mundum ejusdem, vel diversæ speciei producendum, quam, ad secundum animal ejusdem, vel diversæ speciei producendum; sed ad hoc est potens, ergo, &c.

ix. Confirmatur, quia fundamenta, quæ Philosophos in oppositam partem trahunt, levia sunt, & fortè erronea; ut 1^o. quod secundus mundus non posset moveri nisi ad centrum alterius mundi: 2^o. quod hic noster mundus contineat omnem materiam possibilem: 3^o quod sicut datur tantum unus primus motor, dari tantum debeat unum primum mobile; primum enim est omnino falsum, quia in secundo mundo secundum centrum esset: secundum autem malè audit: Tertium verò retorquetur in primum subiectum, sive materiam primam, quæ æquè primum admittit, ergo & primum mobile æquè primum mobile.

DVBIVM II.

An mundus sit perfectus, & an dari possit perfectior.

RESOLUTIO.

x. **D**ico, mundus de facto existens perfectus est essentialiter, substantialiter, & accidentaliter.

xi. Probatur prima pars, quia habet omnes partes essentielles integrales, & perfectiones accidentales, quas finis mundi Authoris & Conditoris, de quo dub. 1^o Resol. 1^a. requirit, ergo, &c.

xii. Confirmatur, ex script. Gen. 1^o. Dei perfecta sunt opera, & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; atqui ly valde sonat eminentem aliquam perfectionem, quæ optimè explicatur, per perfectionem quoad essentiam, substantiam & accidentia, ergo, &c.

xiii. Objicies 1^o. sunt multi in mundo defectus; tum naturæ ut monstra; tum morum & operationum, &c. ut vitia & peccata; ergo mundus est imperfectus.

xiv. Respondeo negando consequentiam, quia hæc imperfectiones non sunt totius mundi; sed singularium partium, quæ etiam ad mundi totius perfectionem, saltem per accidens, non parum con-

ferunt: monstra quidem, quia varietatem augent, & eorum oppositione pulchritudo cæterorum magis elucescit, quia opposita juxta se posita magis elucescunt; vitia & peccata, quia in eis libertas apparet, & sunt occasiones probis hominibus multarum & magnarum virtutum, ut patientiæ, correctionis, tristitiæ, poenitentiæ &c. in quibus magna morum & operationum perfectio elucet.

xv. Adde hæc mundo per se (saltem quoad formale defectus & malitiæ) non competere; sed tantum per accidens ex hominum malitiæ, &c. non ex Dei operatione; unde quamvis nihil boni conferrent Univerſo; tamen ipsum opus quæ Dei, in quo reperiuntur, non ideo dicendum esset imperfectum, magis quàm sedes aliqua affabrè facta, dici debeat imperfecta, eò quod scriba nequam & Pharisæus in illa sedeat.

xvi. Objicies 2^o. multa de sunt mundo, quæ sunt possibilia, ergo est imperfectus.

xvii. Respondeo 1^o. transeat antecedens; nego consequentiam; quia alioqui, mundus dici non posset perfectus, nisi esset perfectissimus, ut consideranti patebit; id autem est absurdum. Vnde

xviii. Respondeo 2^o negando totum; quia deesse, imperfectum esse, &c. præter carentiam, connotant exigentiam ejus, quod dicitur deesse; mundus autem non exigit illa possibilia; quia instructus iis, quæ habet, satis habet ad finem sui Conditoris assequendum.

xix. Objicies 3^o. multa sunt in mundo superflua, ut herbæ noxiæ, molesta tantum animalia, & similia individuum, sive animatorum, sive in-animatorum, infinitus numerus, ergo, &c.

xx. Respondeo negando assumptum: illa enim nullatenus dici debent superflua; quandoquidem omnino conducant ad finem conditoris Univerſi & hominis utilitatem, v. g. ad studium, ad patientiam & poenitentiam exercendam, & his similia, ut ante intinuatum est.

xxi. Objicies 4^o. inter elementa & corpora mixta, v. g. animalia, dissidium est perpetuum, & mutua interemptio; magna item est Cæli inconstantia; magnus insuper excessus caloris, frigoris, &c. ergo mundus non est perfectus.

xxii. Respondeo negando consequentiam; quia inde solum sequitur posse à Deo mundum conditi perfectiorem, in quo nempe esset pax perpetua, cælorum constantia, creaturarum concors omnimoda inter se sympathia, &c. non verò hunc mundum non esse perfectum; quia attentâ creaturarum, quibus conflat, naturâ illa ipsa magnæ sunt mundi hujus perfectiones, quia nempe hominum utilitates & oblectationes sunt, divinitatis autem illustra testimonia, ut cuique notum est; imò aqua unicuique est villæ incensæ remedium; aer quæ talis animalium respirationi utilis, si durus esset, inutilis; inconstantia autem cæli, sic nonnullis obest, ut semper aliis proſit.

xxiii. Objicies 5^o. si mundus sit perfectus, ergo Deus & mundus facient aliquid perfectius, quàm solus Deus; hoc dici non potest, quia alioquin Deus non esset perfectissimus, ergo nec illud.

xxiv. Respondeo negando consequentiam, Deus enim eminenter continet omnem perfectionem mundi, rerumque omnium, tam creaturarum, quàm possibilium; hinc quodcumque perfectum adjungatur, ex eo & Deo non conſtat aliquid perfectius Deo; aliter

Respon-

xxv. Respondent aliqui cum distinctione consequentis, ergo Deus & mundus facient aliquid perfectius intensivè, negant; extensivè autem concedunt.

xxvi. Verùm retinenda est nostra prior solutio; quia perfectius absolute & simpliciter sumptum, accipitur pro magis perfecto intensivè, & si dicatur aliquid esse perfectum extensivè, locutio est impropria, & significat tantum plura perfecta; non autem maiorem, sive excellentiorem perfectionem: quapropter inferendum duntaxat, ergo Deus & mundus sunt plura perfecta, quàm Deus solus, quo posito admitti posset totum; quia in eo nihil absurdi; imò quia pluralitas non est perfectio simpliciter simplex, uti simplicitas; semper verum est, quod Deus, utpote ens omnino simplex illis pluribus æquivalens, sit illis pluribus perfectior.

D V B I V M I I I.

An possit mundus perfici, & quomodo.

R E S O L U T I O I.

xxvii. **D**ico 1^o. Deus potest & potuit facere mundum, hoc, qui de facto existit, meliorem ac perfectiorem, quoad essentiam, substantiam & accidentia.

xxviii. Probatur, quia ente cuiuscumque serè speciei, potest & potuit melius & perfectius quoad essentiam, substantiam & accidentia, producere, ergo & mundum; consequentia probatur; quia ut summum mundus est aggregatum ex entibus cuiuscumque speciei, ergo, &c.

xxix. Confirmatur, Deus non necessitatur ad optimum in se, sed ut summum ad optimum ex præfixo sibi fine, sic ut in ordine ad illum nulla fuerit in Conditoris inconsideratio aut imprudentia, ut in Theologia ostendimus; ergo mundus, quem de facto condidit, non est de facto in se optimus, quem essentialiter, substantialiter & accidentaliter condere potest; finis autem, saltem non ultimatus, est utilitas hominis, &c. quo potest Deus habere perfectiorem, ergo, &c.

xxx. Dices, omnes species possibles habent ordinem ad res præsentis & in mundo superiori vel inferiori existentes, ac proinde, si quas Deus à creatis distinctas crearet, à creatis essentialiter non distinguerentur, sed inter se subordinarentur; idem dic proportionaliter de ly substantialiter & accidentaliter, ergo, &c.

xxxi. Respondeo supponi falsum, videlicet omnes species possibles sic esse creatas, ut in alio mundo creari non possint species aliæ illis omnino op-

positæ, prout brutum & homo opponuntur; & supra, & infra illas aliæ, & aliæ, magis aut minus perfectæ, sive quoad essentiam, sive quoad substantiam, sive quoad accidentia, in eo enim nulla prorsus repugnantia.

R E S O L U T I O I I.

xxxii. **D**ico 2^o. mundus, qui de facto existit perfici non potest essentialiter. ita Divus Thomas 1. p. quæst. 25. art. 6. Durandus in 1^{am} distinct. 44. quæst. 3. Conimbricenses hic, &c.

xxxiii. Probatur, quia essentia huius mundi sumitur per ordinem ad intentionem Dei mundi huius Conditoris; sed illa non potest perfici essentialiter, magis quàm homo perfici possit essentialiter, ergo, &c. Probatur minor, quia quidquid addetur, juxta illam addetur, vel non? si primum, erit de essentia; si secundum, erit ex alia intentione, ac proinde alium mundum constituet, ergo, &c.

xxxiv. Confirmatur, illud est de essentia mundi, sine quo mundus, nec esse, nec concipi potest secundum intentionem Dei mundi Conditoris; sed id consistit in indivisibili, ergo, &c.

xxxv. Obijcies tamen 1^o, possunt huic mundo addi varia accidentia perfectiva, & aliquæ novæ substantiæ creabiles: neque indivisibile est essentialiter id, quod Deus intendit per hunc mundum; ergo perfici potest essentialiter, substantialiter & accidentaliter.

xxxvi. Respondeo negando consequentiam, quia quidquid addi potest, addi potest juxta, vel citra intentionem Dei mundi Conditoris? non primum, quia id de facto est de essentia mundi per ordinem ad illam: si secundum, addetur ex alia Dei intentione ab hac essentialiter distincta, ac proinde hunc mundum essentialiter non perficiet, sed alium essentialiter potius constituet; quia eodem modo se habebit ad priorem mundum, sicut quaternarius se habet ad ternarium ratione quartæ unitatis superadditæ: sicut enim quarta unitas est constitutivum formale novi numeri substantialiter, ita hæc secunda intentio est constitutivum formale novi mundi substantialiter, licet improprie dici possit hunc mundum perficere, sicuti consortium alterius hominis primum hominem perficit: unde similiter dic artefacta, quæ sumunt suam unitatem essentialem à conformitate cum intentione, aut conceptu artificis, non posse essentialiter, substantialiter, aut accidentaliter perfici, ut semper verum maneat, quod Aristoteles sæpius repetit, videlicet *essentias rerum consistere in indivisibili*.

DISPUTATIO SECVNDA.

De Creatione mundi.

D V B I V M I.

An Cognitione purè naturali certò cognosci possit hunc Mundum non esse à se, sed à Deo productum.

1. **A**nte Resolutionem
Suppono fide certum esse Deum esse
Authorem rerum omnium Gen. 1^o, in

principio creavit Deus Cælum & terram. Ioan. 1^o, omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. Quæstio ergo est, an homo sibi relictus, & aliunde nondum acquisitâ certâ ipsius Dei existentis notitiâ, sed per ea, quæ facta sunt, adhuc acquirendâ, solo lumine naturæ cognoscere possit creaturas omnes esse à Deo conditas.